

ANGELA et ISOTA NOGAROLA

CARMINA (534 vers)

I ANGELA NOGAROLA

CARMINA VARIA (442 vers)

EPISTULAE

(98 vers)

AD MAGNIFICUM DOMINUM DOMINUM PANDULFUM DE MALATESTIS PRO RECUPERATIONE
 CUIUSDAM VOLUMINIS, QUO OMNIA OPERA SENECAE MORALIUM DOGMATUM,
 PATRIS ILLUSTRIS CONTINEBANTUR, PER ANGELAM DE NOGAROLIS DE VERONA

E_1A v.1 Nate dea, quae nunc animo sententia surgit ?
 2 Cor quo Caesareum generoso e pectore fugit ?
 3 Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille,
 4 ut mihi tam fulgens raperes, generose, monile
 5 usquam justus est et mens sibi conscia recti,
 6 ut tua jam valeant lacrimis praecordia flecti ?
 7 Vince animum mentemque tuam, qui cetera vincis
 8 jacturamque meam prospectu conspice lyncis.
 9 Deme supercilio nubem plerumque modestus,
 10 balteus et parvus mihi non rapiatur honestus.
 11 Nunc prece, nunc pretio, nec vi nec morte suprema
 12 deprecor, ut nobis reddatur fulgida gemma.
 13 Non domus et fundus, non aeris acervus et auri
 14 poscitur aut tremula flos lectus ab arbore lauri.
 15 Poscimus id avide, nihil est mihi pulchrius orbe,
 16 et tibi nunc plena praestatur copia corbe.
 17 Pars mundi tibi nulla vacat, sed tota tenetur
 18 tellus proque tuo placito sermone movetur.
 19 Quid vetat esse pium munus ? Tene dulcia verba,
 20 nempe repulsa magis quam mors credatur acerba.
 21 Da mihi te placidum, dederisque in carmina vires,
 22 at cadet ingenium mentis si murmur inires.
 23 Rumpor et ora mihi pariter cura mente tremescunt.
 24 Hi quotiens nostra flores non sede nitescunt,
 25 pro somno lacrimis oculi funguntur obortis,
 26 nec mea permulcet patientia pectora fortis.
 27 Has solas semperque habeo semperque profundo,
 28 Nec male, namque mihi cessit sors aspera mundo.
 29 Sed jam siste gradum, finemque impone labori,
 30 Princeps celse, meo magnoque medere dolori.

PANDULFUS DE MALATESTIS
 GENEROSAE DOMINAE ANGELAE DE NOGAROLIS RESPONDET.

E_1B v.1 O decus egregium, virgo celeberrima Musis,
 2 unica per nostrum volitans nunc aethera Phoenix,
 3 cui caeleste dedit virtus praesaga futuri
 4 nomen et ingenium superi fecere profundum.
 5 Munera digna viris repetis, non aequa puellis,
 6 quae licet ampla forent, penitus me dante tulisses,
 7 si modo quam rogitas praestetur copia gemmae
 8 aut alibi reperire queam vel tu quoque posses
 9 reddere, dum pectus cupide satiaris honestum.
 10 Quis ferus et Thracia genitus sub rupe negaret
 11 quidquam dulce tibi, generosae stirpis alumna,
 12 carmine quae possis cautes perrumpere duras
 13 atque adamanta queas nimium mollire precando ?
 14 Neque ego tam durus vel sunt praecordia ferri
 15 ut tua non avide complessem vota libenter,
 16 si mihi non animo fixum natumque sederet.
 17 Ergo vale precibusque piis ignosce quod obstem.

INCLITO ET GLORIOSO PRINCIPI DOMINO IACOBO DE CARRARIA,
 DOMINO SUO SINGULARISSIMO

E_2 v.1 Summe parens rerum, summi regnator Olympi,
 2 aethera qui stabilis, terras atque alta profundi
 3 sidereosque polos aeterna lege gubernas,
 4 nunc tua turicremis venerentur numina donis
 5 grandaevi justique senes trepidaeque puellae
 6 et pueri castaeque nurus juvenesque torosi.
 7 Obstrepant omne nemus, velemus tempora sertis,
 8 atria festivis celebrentur plena choreis,
 9 exultent proceres simul in turbisque popellus.
 10 Affluit alma dies lapsis felicior annis,
 11 qua te grande decus Patavi, clarissime princeps,
 12 marmoreae rectorem urbis sceproque potentem
 13 vidimus ! O totum lux concelebranda per orbem !
 14 Vive diu felix, divum certissima proles,
 15 et summis confide deis rebusque secundis.
 16 Sub juga prosternes populos gentesque rebelles,
 17 ibit et in totum tua celsa potentia mundum.
 18 O patriae sedes, patrii gaudete penates,
 19 et civis laetare, precor, dominumque benignis
 20 ulnis sume tuum, quo, credas, principe nostro
 21 Aurea Saturni remeabunt tempora mitis.
 22 Dulcia felices tractabunt otia gentes
 23 et pia sedatas proteget concordia terras.
 24 Tristia concordēs horrebunt proelia mentes
 25 nec metus humanos agitabit cura pavorque,
 26 sed cuncti pariter concordī pace fruemur.

ANGELA DE NOGAROLIS NICOLAO DE FACINO VICENTINO,
 QUI SUSPICATUS EST METRA PER EAM SIBI MISSA IPSAM NON COMPOSUISSE,
 SED ALIUNDE MENDICASSE.

E_3 v.1 Non aliena meis imponere vellera membris
 2 me juvat et levibus circumdare brachia pennis
 3 nec mihi virtutum laudes conscendere cura est
 4 alterius, picti nota est mihi fabula corvi.

D. ANGELAE DE NOGAROLIS PER NICOLAUM DE FACINO VICENTINUM

E_4 v.1 Ac veterum laudes nobis ascribere vatam
 2 et pudor et virtutis amor mentisque decorum.
 3 Sed mihi nulla movet mentem miratio, quod non
 4 follibus esse meis ullo conflata putentur
 5 et fabricata mea avitis in... Negentur.
 6 Femineae morem coeperunt namque cohortes,
 7 tempore quod nullas latices gustasse moderno
 8 fertur Gorgoneos doctasque audisse sorores.
 9 At, natura, pari rerum ratione creatrix,
 10 femineam formare animam pariterque virilem
 11 diceris atque soles aequas infundere mentes !
 12 Ergo tuum veteres non poscere, femina, vates,
 13 naturaeque munus sexum dotavit utrumque.

DOMINAE ANGELAE DE NOGAROLIS VERONENSIS, AD ANTONIUM LUSCHUM.

E_5 v.1 Da veniam, quaeso, calamus si scribere differt ;
 2 protrahit invitam dextera nempe moram.
 3 Sed latro, nostram rarus qui pergat ad urbem,
 4 ac studium versus impediensque calor
 5 obstant, nam labunt praecordia nostra calore,
 6 ollia me studium promere metra vetat.
 7 Vive, vale felix, in tanta voce valeto
 8 et pia sint votis numina prona tuis.

oo

ANGELA NOGAROLA

LIBER DE VIRTUTIBUS (344 vers)

v.1 Ardua virtutum faciles cape, lector, ad usus ;
 2 alta solent humiles carpere poma manus.
 3 Utilis est operis magnos relevare labores
 4 et grave per planum ducere pondus iter.
 5 Verba nocent aptis si non proferentur habenis,

6 turbat ut Armenicam dissona corda lyram.
7 Saepe semel missam nequit os reticere loquelam,
8 saepe nequit sisti qui male fertur equus.
9 Si nec ob hoc vivam tacitus contemno loquelam,
10 Non est pro lolio rejicienda fides.
11 Vitrea pressa nocent delapsaque vasa terentur,
12 os quoque nec mutum nec decet esse sagax.
13 Non est propositi sub verbis fallere nostri,
14 si quis enim fallit, fallitur ipse magis.
15 Nil docto mendace potest truculentius esse,
16 non decet immitem pellis ovina lupum.
17 Sed sibi plus alio patitur qui detrahit hosti,
18 plus sibi quam cuique ferre gravatus obest.
19 Quam plures aliena notant, sua carmina numquam,
20 albula non oculis est manifesta suis.
21 Lingua modesta praeest regibus dominisque superbis,
22 omnia temperies exsuperare potest.
23 Si timeas Dominum, te cuncta creata timebunt,
24 obsequium regni regis amicus habet.
25 Non reverens Christum reverberis omne creatum,
26 regi suspectus fronde cadente cadit.
27 Impia te fugiat neque alta superbia tollat,
28 quo magis ascendit plus cito flamma cadit.
29 Glorificans humilem sequitur praecelsio mentem
30 planaque plus arbor fructificare solet.
31 Altius ut scindit plus fervida tollitur unda,
32 funditur in nihilum mens feritate tumens.
33 Inflat se nimia fraudatus laude superbus
34 et nimio cantu pressa cicada crepat.
35 Gloria plus miseros solet offuscare superbos,
36 denique plus claudum crura levare solent.
37 Inclita laus humiles sequitur virtutis amicas,
38 mollis enim vestis regibus apta placet.
39 Magna solent altos contundere fulmina montes,
40 fructus tristitiae saepe superbus erit.
41 Laeta fructificant cum valles fertilitate,
42 fructificant humiles, est quibus alta quies.
43 Vana superbiorum vacuat jactatio mentem
44 et tenuem pennam ventus abire facit.
45 Firma solet virtus humiles servare quietes,
46 non cadit in plana qui requiescit humo.
47 Saepe solet blandus minace superbior esse,
48 saepe magis rapida plana nocebit aqua.
49 Vult summo superesse deo, cum quisque superbit,
50 sed cedens oleo quaelibet unda subest.
51 Gratior est humilis, latitant bona cujus in imis,
52 plus fago cucumer sublatitando placet.
53 Non suus est humilis, sed se magis abnegat ipse
54 et multum fructum mortua grana ferunt.
55 Pestem nemo potest mulieris ferre superbae,
56 nemo sub accenso sustinet igne manum.
57 Gloria quos inflat, crepitu jactantia frangit,
58 vesicae tumidae parvulus ictus obest.
59 Dat cunctis humilis, dat condimenta saporis,
60 fercula cum condit, diligit ima piper.
61 Regum corda solent humiles pacare ministri,

62 nec sibi prostratis vult ferus esse leo.
63 Difficiles non quaerit opes humilis vir et aptus,
64 quaeque volant alte non capiuntur aves.
65 Invidiae stimulos studeas vitare feroces,
66 si subdas animo quaeque superba tuo.
67 Se ferit ante suo si quem ferit invidiatu,
68 vipera prole sua se perimente perit.
69 Pectora saeva dolent aliena prosperitate
70 et glacies solis tacta calore perit.
71 Invida pestifero latitant in corde venena,
72 et quo plus latitat plus basiliscus obest.
73 Sola sub invidia non est fortuna dolentis,
74 sola carent stimulis ossa sepulta suis.
75 Omnibus innocui sunt simplicitatis amici,
76 Simplex ne noceat felle columba <malo>.
77 Innocui nullo poterunt ledente lederi,
78 fornax argentum purius igne facit.
79 Saepe nocivus obest sibi, non cui credit obesse,
80 saepe sagittantem falsa sagitta ferit.
81 Invida per subitam morietur femina linguam
82 jactaque per rabidam prora peribit aquam.
83 Dilectum plus habet pastor pecus ubere pleno
84 plusque placet proprio femina casta viro.
85 Vir sapiens prodesse cupit nec laedere quemquam
86 parsque valens corpus non ledit ulla suum.
87 Non nocet indicio livor praevius aperto,
88 ad visus hominis mox basiliscus obest.
89 Praevios latitans perimit basiliscus ocellos,
90 invidus anticipat quos nociturus adit.
91 Obstupet innocuus sibi cum videt prior hostem,
92 vox fugit illius qui videt ante lupum.
93 Saepe repentinus placidum mare ventus adinflat,
94 invidus unanimem non sinit esse domum.
95 Foeda cruore suo crudum sunt ora leonum,
96 saepe suo dirum lividus ore notat.
97 Saepe ferit lingua gladio crudelius anguis,
98 invidus in verbis est homicida suis.
99 Vacca pio vitulum numquam sine lingit amore,
100 gratus vir lingua cuique placere solet.
101 Pulchra sub infestis requiescunt lilia spinis,
102 mitibus et gratis nemo nocere potest.
103 Fervida corda gerens gelida revoceris ab unda,
104 frigida sudanti pocula saepe nocent.
105 Te tua praecipitat si non caveberis ira,
106 praecipites odio saepe vigore carent.
107 Mitia pacificam pariunt praecordia mentem,
108 mitis nectareum parturit uva merum.
109 Pallida vexantes homines facit ira cruentos,
110 saepe gravis grando durius hoste ferit.
111 Proficit exultans gelidam vir nudus ad undam,
112 proficit herba virens non superata gelu.
113 Namque dolet frustra de re quae transitur ira,
114 mortuus in vanum sollicitatur equus.
115 Mansuetudo feram flectit sine verbere mentem
116 et gelidum membrum molle medulla facit.
117 Omnia vir placidus vitiorum proelia vincit

118 omne animalque ferum placat amica manus.
 119 Solus in adversis novit requiescere mitis,
 120 solus ovat piscis, quando procella tumet.
 121 Dissipat ira virum, per quam caro mensque necatur,
 122 dissipat et frondes pronaque grando ruens.
 123 Inreverens mulier solitam non deserit iram,
 124 mortiferum semper virus in angue viget.
 125 Nil muliere bona, nil est moderatius umquam,
 126 nil ove sub caelo mitius esse potest.
 127 Nobilis exsuperat diras patientia mentes
 128 et ferus a placida vincitur ignis aqua.
 129 Labilis instabilem necat impatientia mentem
 130 vincitur et validus saepius igne Chalybs.
 131 Non quam se alios habet iracundus amicos
 132 utque aliis sibi sic vipera semper obest.
 133 Magna quidem facies, validos si viceris hostes,
 134 sed plus est animo se dominare suo.
 135 Flamma domum superans non linquit abire colonum,
 136 ira virum memorem non sinit esse sui.
 137 Nullius adversi patiens terrore movetur,
 138 firmius in saxo stat fabricata domus.
 139 Duro spina sono crepituque laborat in igne,
 140 ira loquax homines asperitate cremat.
 141 Saepe lupum nocuit dapibus aluisse necandum,
 142 iracundus obest, cui sociatus erit.
 143 Exspectata ferunt valiturum semina morum
 144 et sua vir patiens vota videbit ovans.
 145 Frigora tristitiae numquam tua corda coercent,
 146 [LACUNE]
 147 Felix tristitiam mentis constantia frangit,
 148 felici glacies sole cadente fluit.
 149 Laeta parit longam felix constantia mentem,
 150 laeto radicis munere ligna virent.
 151 Tristitiae vitium virtutes dissipat omnes
 152 et prohibet virens fructificare gelu.
 153 Nil nisi quod tantum norit revocabile memor,
 154 nil nisi quod non est umbra pavoris habet.
 155 Temperat insolitam mentis constantia linguam,
 156 frenis immoniti morigerantur equi.
 157 Saepe levi mulier maeroris frangitur ictu
 158 et tenulis herbis parvula pulsa nocet.
 159 Fortior est constans procelso femina monte
 160 terraque plus stabilis cernitur esse polo.
 161 Tristitiae vitium non est nisi mortis amicum,
 162 non nisi mors aliis vita draconis erit.
 163 Carneus ex animo maeror solet esse superbo,
 164 ex foeda testa foetidus exit odor.
 165 Dulcia dirus habet quasi sint contraria maeror
 166 ipsaque leproso vita nocere solet.
 167 Laetitiae nutrix pascit constantia mentem,
 168 vivere jocunde firmior esca facit.
 169 Semet ad ima ferent religati Tartara tristes,
 170 semet et araneae musca dat acta cibum.
 171 Saepe ferox sequitur mox declinatio tristem,
 172 fessus se mergit saepe natator aquis.
 173 Mens tua tristitiae constantibus obviet armis,

174 hoste sub immiti vulgus inerme cadit.
 175 Laeta facit vigilēs hominū constantia mentes,
 176 formicam vigilēm non premit ulla fames.
 177 Durius assiduo ferrum consumitur ictu,
 178 crebris tristitiis annihilatur homo.
 179 Uno turba fugit percussa et fulminis ictu,
 180 tristis adoretur nec sociatus erit.
 181 Provocat artifices proprio res capta decore
 182 et facies hilaris crescere quaeque facit.
 183 Mardocheus ovans animae maerore necatur,
 184 laedere maesta volens mens sibi prima nocet.
 185 At tristes casus inimici non hilarescas,
 186 vir probrum extrema plus sibi febre cavet.
 187 Utilis est domibus pastus moderatior ignis,
 188 utilis est homini potus et esca brevis.
 189 Igne domus valido consumitur intus et extra,
 190 igne cor, et corpus crapula rodit edax.
 191 Sat solet esse bonum gentem superare cruentam,
 192 sed melius cupidam vincere posse gulam.
 193 Libera saepe ruit citius gula mortis ad ima
 194 et solet in praiceps currere liber equus.
 195 Impius in scelerum gaudet gravitate suorum
 196 lentaque balbutit lingua gravata mero.
 197 Sordescit rivus pluviali plenus ab imbre,
 198 sordet et insolito flumine plena gula.
 199 Fercula saepe virum rapiunt metuenda gulosum
 200 escaque decipulae saepe retemptat avem.
 201 Urbe fugit populus diro qui vincitur hoste,
 202 mens fugit, utque furit gutture victa caro.
 203 Saepe gula saturi pereunt absentia dicta,
 204 saepe gula moritur ni reprimatur equus.
 205 Nulla gulae possunt fore sufficientia pesti,
 206 plus sitit hydropicus, cum sitiendo bibit.
 207 Impia mortiferae mens subditur ebrietati,
 208 vipera vipereo mordet amore parem.
 209 Omnia luxuriae cupidis dulcedine desunt,
 210 nil nisi sufficiens ignis habere potest.
 211 Dulcius ebrietas intrat nocitura profanos,
 212 dulce sibi diro virus in angue manet.
 213 Cum tibi vina placent, non immoderantia regnet,
 214 perdit enim cursus immoderatus equum.
 215 Dissipat insignem tineae corrosio vestem,
 216 ebria congestas femina rodit opes.
 217 Alta ferunt sapidos sitientia vascula potus,
 218 sobria fert mulier gaudia multa viro.
 219 Dulces sobrietas praebet virtutibus escas,
 220 dulces dat soboli mater amica dapes.
 221 Umbra viatores nimio demulcet ab aestu,
 222 sobrietas bomines absque dolore nutrit.
 223 Abstinet ore suo quod pascat avicula pullos,
 224 abstinet ut sensus et bene doctus alat.
 225 Non igitur superare gula feritatis amica,
 226 sed sis angelica sobrietate pius.
 227 Luxuriam forti studeas religare catena,
 228 nam prodest rapido forte ligamen equo.
 229 Luxuriamque magis lacerat mulcendo voluptas

230 plusque cibo sapido piscibus hamus obest.
 231 Blanda Venus diro praecordia fine remordet
 232 et Sirena canens membra quiete necat.
 233 Innumeri lacerant foetentia corpora vermes,
 234 innumeras poenas luxuriosus habet.
 235 Ebrius est nullo jam mortuus aptus honori,
 236 mortuus ejicitur vilis ab aede canis.
 237 Rex sua sceptrifero felix tenet omnia sceptro
 238 virque pudicitiae cuncta quietus agit.
 239 Grata paraleticis mors est vexatio membris,
 240 mors est, femineus dum male vexat amor.
 241 Plurima lascivus cupiens nil obtinet apte,
 242 non habet in visco tempta quod optat avis.
 243 Sola placent celebri convivia splendida regi,
 244 sola placent alto pectora casta deo.
 245 Plus meretrix omni est sordida caeno, (...)

246 omni plus auro femina casta nitet.
 247 Absque pudicitia labuntur ad infima mores,
 248 absque ratis malo nauta perire solet.
 249 Saepius hospitium dictat bonus hospes amicum,
 250 hospite dictantur pectora saepe deo.
 251 Fili spe vitae semper (.....)
 252 spe celebris mellis fert gula laeta famem.
 253 Nullus avaritiae stimulus tua pectora pungat,
 254 et ricinus vulpi saepe petitus obest.
 255 Et nisi desit humus studet anxia fodere talpa,
 256 [LACUNE]

257 Perpetuas acquirit opes vir qui miseretur,
 258 quo plus mamma nutrit plenior esse solet.
 259 Saepe cupido sua consumitur anxietate
 260 et minus esuriens illaqueatur avis.
 261 Quidquid habent cupidi nihil est quibus omnia desunt,
 262 amplius accendit cum datur esca faci.
 263 Saepe solent volucres alienos pascere pullos,
 264 saepe suas alvus dat (.....) opes.
 265 Hinc timet, inde dolet, cupit hinc, si pausat avarus
 266 ventus, spina ista saepe quiete carent.
 267 Non turbant adversa pios nec prospera tollunt
 268 nec lauri foliis aestus hiemsque nocet.
 269 Pestis avaritiae fragili regnat in muliere,
 270 saepe etenim lignum siccius ignis amat.
 271 Provida non capitur temerato femina quaestu,
 272 capta cibum laquei non temerabit avis.
 273 Extra viva fluit nec surgere desinit unda,
 274 numquam deficiet dans miserator opes.
 275 Aret humus sterilis jactataque semina perdit,
 276 quidquid habet perimens aret avarus homo.
 277 Quisquis opes habitus nequit expugnare (....),
 278 qui nescit multa nare peribit aqua.
 279 Nemo deo praejussa sibi vitabit ab alto,
 280 bos nequit imposito tollere colla jugo.
 281 Anxius opprimitur, ditescit saepe quietus,
 282 planta perit motu, planta quiete manet.
 283 Dat miseris solitum miseratrix femina victum,
 284 in ligno vili mella recondit apis.
 285 Caeca licet cautum male mens disponit aratrum,

286 nemo valet recte scribere luce carens.
 287 Vasa sub incauti figuli fornace peribunt,
 288 mens sub avaritia perdita fugat opes.
 289 Multi si fabricent aliquid dat pondus opusque,
 290 luctantes cupidi dant sua seque neci.
 291 Spernens justus opes multis miseretur egenis,
 292 caelum nulla petit pluraque quaerit homo.
 293 Pestiferos pellunt unguenta opima dolores,
 294 omne bonus vitium frangit amore pio.
 295 Concava saepe nocent ad equorum scandala cursus
 296 et socii planum turbat avarus iter.
 297 Non tibi praebebit oleum nisi bacca coacta,
 298 non tibi dat linum ni primo aretur ager.
 299 Non mola dat gratam cribro nisi tersa farinam,
 300 non nisi cogatur praebet avarus opes.
 301 Saepe pilus turbat calami scribentis acumen
 302 communique bono mixtus avarus obest.
 303 Pictor namque prius proprio dat signa colore
 304 et sua cuique pii praemeditata ferunt.
 305 Sanguis Azach fusus doceat te regis iniqui,
 306 ut tibi sint tuamet non aliena velis.
 307 (...)afestam constringe (...) memoratus avorum,
 308 cum pluviae superant insitaeque (.....) nocent.
 309 Quaerere magna solet stomachus fomenta (.....)
 310 saepe canis latrans vulnera saeva facit.
 311 Membra valere facit partum moderatione
 312 et lyra dulcisonos dat moderata sonos.
 313 Saepe focus nimius propriam consurgit in iram,
 314 saepe cibus nimius mors solet esse suis.
 315 Sibilat esuriens miseranda milvus in<epte>
 316 et sua lascivus vota gemendo linit.
 317 Stultus opes minuens damnum mercator ad<auget>
 318 stulta Venus minuens lecta dolendo fovet.
 319 Templata pudicitiae numquam fore tristia possunt,
 320 numquam continua sol sine luce manet.
 321 Saepe libido solet truculentos laedere vultus,
 322 saepe solet pestis laedere membra latens.
 323 Casta pio mulier veneratur amore maritum,
 324 casta suum turtur novit amore parem.
 325 Vir mulierque sibi servantes foedera crescunt,
 326 servant alterutrum se relevando pedes.
 327 Nil est nobilius quam vir mulierque pudici,
 328 nil potius gemino lumine mundus habet.
 329 Anulus ex rutilo gratus solet esse lapillo,
 330 gratis habet proprium femina casta virum.
 331 Nil nocet in tantum quam si mulier dominatur,
 332 flamma larem proprium transgrediendo nocet.
 333 Perdatur igniferis juvenis meretricis ocellis
 334 et pius agnus obest praerapiente lupa.
 335 Non timet insidias vigili qui regnat in arce
 336 inque pudicitia vir quasi Caesar erit.
 337 Stante pudicitia gaudet caro mensque (.....)
 338 ceraque melque fluunt donec (...) apis.
 339 Virtu (.....)
 340 Virtus plus vitio sollicitata potest.
 341 Ferrea vicino vis saepe resolvitur igne

30 non spreuit tantus praetor adire domos.
 31 Quam fausta illuxit caelo, quam candida nobis
 32 lux felix, Cressa lux bona digna nota,
 33 qua perjucundo jussum est certamine quaeri,
 34 patraritne Adam majus an Eva scelus !
 35 Ille viri partes, ego sum conata tueri
 36 femineas, quamquam femina quid poteram ?
 37 Deliciae, o Cyanum, et Nogarolae gentis ocelle,
 38 Alcinoi atque hortis gratior Hesperidum,
 39 non mirum si jam deserta sede Pelori
 40 nympa suburbano constitit hoc Cyane !
 41 Dux Erebi Aetnaeis quondam ferus abstulit oris
 42 Persephonem Cereris pignora cara deae.
 43 Trinacris ingemuit raptam miserata ; tulisset
 44 Persephonae ah miserae, si potuisset, opem.
 45 Flumina creverunt lacrimis fontesque lacusque
 46 flammaram evomuit latius Aetna globos.
 47 Quis credat ? Tunc Scylla etiam, tunc Scylla doloris
 48 latratu horrifico maxima signa dedit.
 49 Te quoque non solitas memorant fudisse querelas
 50 miscentem lacrimis saeva Charybdis aquas.
 51 Ipsae etiam nymphae confectae corda dolore
 52 errabant scissis lata per arva comis
 53 ac veluti Euantes implebant questibus auras,
 54 tundentes palmis pectora et ungue genas.
 55 Quas inter forma egregia castoque pudore
 56 praeclari Cyane nominis emicuit.
 57 Fida una ante alias Cyane comes atque ministra
 58 haerebat lateri sedula Persephones.
 59 Alma Ceres, dum maternas inviseret arces :
 60 " Natae, ait, o Cyane, sit tibi cura meae.
 61 Hanc tibi commissam, Cyane, fidissima serves,
 62 nusquam absit, jussis pareat illa tuis."
 63 Utraque paruerat, cura utebatur eadem,
 64 utraque sed Stygiis est superata dolis.
 65 Quid faceret ? Quo se raperet perterrita custos ?
 66 Non erat et formae vis metuenda suae ?
 67 Ipsa amens animi atque ingenti caeca dolore
 68 torpuit et nuda frigida sedit humo.
 69 Tum patriam fugere atque invisam excedere terra
 70 et petere Ausoniae litora certa fuit
 71 nulla mora. Undisonum Siculas quod dividit oras
 72 finibus Hesperiae trajicit illa fretum.
 73 Post varios casus, post multa pericla quievit
 74 sedibus his longae fessa labore viae.
 75 Rus proprio Cyanum dixit de nomine, fontes
 76 admirata tuis hic, Arethusa, pares.
 77 Ex illo Cyanum prisca didicere parentes,
 78 sera hoc gaudebit nomine posteritas.
 79 Nympa decus Siculi quondam formosa Pachyni,
 80 nunc Cyani et nostrae gloria magna domus !
 81 Floreat o utinam per saecula longa superstes,
 82 credita tutelae gens Nogarola tuae.
 83 Aemula sit vitae Nogarolo a sanguine creta
 84 atque pudicitiae femina quaeque tuae.
 85 Hanc oro tutare domum natosque nepotesque ;

86 incolume hoc serves, candida nympha, genus.
87 Sic varios numquam flores mala frigora laedant,
88 neve tuos nimius torreat aestus agros.
89 Sic tibi sint liquidi fontes, vernantia circum
90 prata nec anguinea sordeat unda lue.
91 Quin ea, quot rutilas Pactolus fundit arenas
92 vincat, quotque Tagi jactat Iberus opes.